

† R. P. Franciscus Brandstätter.

(*Prov. Vindobon.*).

† R. P. Franciscus Brandstätter.

(*Prov. Vindobon.*).

Vixit annos quinquaginta duos, e quibus in Congregatione professus fere triginta duos, in sacerdotio viginti sex egit. P. Brandstätter natus est die 24 iunii a. 1872 in viculo Dreistetten in umbra arcis Starhemberg vetustate dirutae ad radices montium Austriae inferioris. Cum scholas primarias sexque gymnasii classes in Seitenstetten et Ober Hollabrunn superasset, Congregationi nomen dedit et Eggenburgi in noviciatu die 8 septembris a. 1892 vota religiosa professus est. Studiis deinde peractis die 31 iulii a. 1898 in ecclesia nostra Mauternensi sacerdos ordinatus est.



Puer iuvenisque Franciscus in libello quodam diem ex die paucis verbulis adnotare solitus erat, quid in schola aliasve accidisset. In noviciatu

studentatuque hae adnotationes pro argumento habent, quid in meditationibus quotidianis vel praefecti conferentiis expositum sit. Paucissima quidem verba sunt, sed etiam simplici siccitate sua testantur, quam solenter novicius clericusque in animo componere studuerit, quidquid ad vitae spiritualis ac religiosae profectum ei oblatum erat.

E studentatu autumnus anni 1889 in iuvenatum lector missus est, ubi tres fere annos doctrinam religiosam et litteraturam germanicam docuit. Inde in ministerium apostolicum in Montem Matris Dei prope Grulich et Zwittaviam translatus est, sed mox Vindobonam in collegium Hernalsiense venit, ubi, si breve tempus excipias, usque ad annum 1919 permansit, quo valetudine iam debilitata in aerem meliorem Puchheimium missus est. Sed qui laboribus assuetus erat, etiam ibi laborare non destitit. Morbo ingravescente anno 1923 in novum tum hospitium Gurcense missus statim iterum viribus non parcens in colligendis instituendisque et melius componendis illius regionis adulescentibus insudare coepit. Mense aprili a. 1924 in dilectam suam domum Hernalsiensem revertit, cadaveri quam homini viventi similior, nec de statu suo dubitans. Saepe enim audiebatur repetens de se actum esse. Die 22 maii piissime animam Deo reddidit.

Ultimis vitae diebus P. Brandstätter ad amicum quendam dixit: « Deus omnia mihi concessit, quae expetivi. Cum inter parvulos laborare cuperem, catechismum in scholis docere mihi licuit; cum inter iuvenes studentes litterarum versari in votis haberem, congregationi marianae studentium undecim annos praeram; in domo Hernalsiensi ut mori possem, petivi, et etiam hoc Deus mihi concessurus esse videtur ». His verbis Patris Brandstätter et vita et indoles descripta sunt.

Patres collegii nostri in XVII urbis Vindobonae regione siti uno alterove excepto in scholis publicis instructioni religiosae operam dent oportet, in quam singuli vicenis vel etiam vicenis quinis per hebdomadem horis incumbunt. Quare cum in missiones exire non possint, eo magis iuventutem etiam e scholis dimissam colligere et cura pastoralis excolere prosequuntur. P. Brandstätter, qui maximam partem vitae suae sacerdotalis in illo collegio egit, ad hanc rem exsequendam maxime idoneus fuit. Praeter instructionem religiosam vero etiam exhortationes dominicales in gymnasio satis diu habuit. E quo cum iuvenibus studentibus commercio congregatio mariana studentium orta est, cui omnem curam spiritualem adhibuit. Inter adulescentes suos patris simul et commilitonis personam agens omnium animos non sibi conciliare nisus est, sed Deo soli. Cum mortuo nostro Pater Tendler iuvenum Vindobonensium collegium, quod ipse condiderat et diu rexerat, capite careret et turbis misceri coeptum esset, P. Brandstätter etiam illud instaurandum suscepit, donec ordine restituto aliis curis tradi potuit. Virorum quoque congregationem moderandam suscepit. Sed maxime semper congregationem marianam studentium suorum amore pa-

terno dilexit. Inter haec contiones varias et contionum cursus habere non omisit.

S. Franciscus Xaverius dicere solitus est: « Ad suam ipsorum portam homines intrare sinamus oportet; sed curandum est, ut ad nostram egrediantur », ad Deum scilicet conversi. Ita P. Brandstätter agere contendit. Omnium moribus indolique se accommodare studuit, ut omnibus omnia factus iter eis ostenderet, quo ad Deum, ecclesiam salutemque animarum pervenirent. Ita factum est, ut labores eius exitus felicissimus probaret. Vix quisquam in illa urbis Vindobonae regione populo magis acceptus erat quam P. Brandstätter. Qua vero mente laboraverit, e verbis illis elucet, quae ultimis vitae diebus edixit, maximo sibi solatio esse, quod tam multos homines aegros ultimis ecclesiae sacramentis ad iter extremum munire potuerit.

Vindobonae labores eius tantum creverunt, ut, quamvis homo robustus esse videretur, cor praesertim debilitatum nervorumque infirmitas tandem suaderent, ut nimiae virium intentioni eriperetur. Sed ne tum quidem in Puchheim et Gurk, cum oculorum quoque languor accessisset, quiescere potuit aut voluit, laboris quidem loco et genere, non autem studio et ardore mutatis.

Qua ratione P. Brandstätter hominum mentes allicere solitus sit, uno tantum exemplo ostendere libet, quo eius et morum suavitas et prudentia cognoscatur. E collegio Puchheimiensi cum socio in missionem deputatus est. Locus erat totus socialismo infectus, incolae fere omnes fodinarum laboribus occupati, quos ad missionem adduci posse vix quisquam sperabat. Tum P. Brandstätter « Ad operariorum », inquit, « consilium literas demus, quibus petamus, ut nobis cum operariis in fodinas descendere omniaque visere liceat ». Cum consilium precibus acquievisset, P. Brandstätter tanta familiaritate omnes salutavit tantoque studio labores eorum invisit, tanta humanitate de condicionibus eorum socialibus percontatus est, ut omnium animos allexerit. Nemo iam a missione alienus fuit, sed, quod nemo sperare ausus erat, omnes venerunt.

P. Brandstätter a natura pingendi arte praeditus erat, quam, etiamsi eius in schola pictorum excolendae non erat facultas, tamen diligentissime a puero privatim excoluit, ita ut imagines pulchras delinearet, quarum satis magnum numerum non quidem publice expositarum, sed domi servatarum reliquit. Utque ipse delineando delectabatur, ita homines etiam huius artis exercitio ad Deum attrahere contendit. Quamquam sive sua, sive etiam aliena culpa ex artis exercitio nonnullas difficultates sibi enascentes perpressus est.

Quae in novitiatu et studentatu religiosae vitae semina in corde posuerat, ea diligenter etiam toto vitae tempore excoluit homo pius, orationis amans, regularum observans, Congregationis amantissimus. Cum die

11 aprilis a. 1924 Vindobonam revertisset, per quindecim dies s. sacrificium offerre et subinde studentes suos in aula ad collegium adiacenti invisere potuit. Deinde viatico et extrema unctione susceptis in lecto dolores vehementissimos summa cum patientia toleravit. Vesperi diei 20 maii finis adesse visus est. Communitate tota ad campanae signum ad lectum eius congregata ipse hortatus est, ut omnes orarent, deinde vero s. communionem sibi afferri rogavit. Quo facto paululum refectus est. Nocte proxima post horam diei primam fratrem sibi servientem aspiciens « Te miserum », inquit, « mea causa ne somnum quidem capere potes; at patientia utaris, mox finis aderit ». Quae tam humane dicta ultima erant. Cum enim frater paululum capite reposito quievisset, P. Brandstätter placide defunctus est.

Die 24 maii sacerdotum caterva hominumque multitudo, qui cum nostris corpus eius exsequiis in ecclesia peractis ad coemeterium comitati sunt, optime testati sunt, quanti omnes humilem S. Alphonsi filium fecissent. R. i. p.!